



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt III. Idem (a) Verulano Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

visuris attentius, ne deinceps clericis conjugatis ecclesiastica beneficia conferantur, sed illorum aliqui ad sacros Ordines, vel Ecclesiarum administrationes non admittantur, nisi castitatem fortè (b) voverent, & perpetuò servarent, qui unicam & [c] virginem habuerint uxorem,

NOTÆ.

(a) **H** *Erfordienfi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* Herfordensis autem Ecclesia est in Anglia, ut jam notavi in *cap. 2. de tempor. ordin.* Unde constat hanc decisionem esse referendam ad provinciam Angliæ, ubi temporibus Alexandri III. jam corru-

ptela invaluerat, ut clerici uxores simul, & beneficia retinerent, ut refert Polydorus Vergil. *lib. 6. hist. Angliæ, fol. 116.* & constat *ex cap. penult. hoc titulo,* misso Berengariæ Regine Angliæ.

(b) *Voverint.*] Juxta textum in *cap. conjugatus, de convers. conjug.* ubi dicemus.

(c) *Et virginem.*] Juxta adducta in *cap. 3. de bigam. non ordin.*

CAPVT III.

Idem (a) *Verulano Episcopo.*

QUOD à te cum inimicis tuis, &c. De cætero, quia fraternitatis tuæ querit industria, utrum clerici infra Subdiaconatus Ordinem constituti, qui cum continere, carnis vitio devicti, non valent, uxores accipiunt, ecclesiastico beneficio canonicè debeant spoliari. Id tuam voluimus experientiam indubitata veritate tenere, quòd cum simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac divinis, & ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant, ob immunditiam suam ecclesiasticis sacramentis indigni contrahendis, & ecclesiasticis proculdubio beneficiis sint privandi. Sanè si Ecclesiis, quibus attributi fuerant, de possessionibus, aut aliis bonis suis aliqua contulisse noscuntur, cum ab earundem Ecclesiarum ministerio fuerint, & beneficio sequestrati, ad ipsos rectà viâ dominium, ac proprietatem liberè debet, & absque ulla contradictione redire,

NOTÆ.

(a) **V** *Erulan.*] Ita etiam legitur in prima

collectione *sub hoc titulo, cap. 5. & p. 50. post Concilium Lateran. cap. 7.* De Ecclesia Verulana nonnulla adduxi in *cap. 3. de renunc.*

CAPVT IV.

(a) Idem.

SANÈ Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potius nuncupanda, post longam poenitentiam, & vitam laudabilem continentibus officio suo restitui poterunt, & ejus executionem ex indulgentia sui Episcopi habere,

NOTÆ.

(a) **I** *Deu.*] Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* ubi additur pars ca-

pitis *causam*; sed cum varii sint textus hujus Pontificis, cum hoc principio, *causam*, non facile potest ejus integra restitui, nec vera inscriptio assignari.

CAPVT V.

Innocentius III. (a) *Archiepiscopo Norwicensi.*

DIVERFIS fallacii homines circumventi, Deo, & mammonæ famulari conantur; cum tamen secundum evangelicam veritatem, nemo potest duobus dominis servire, quoniam si unum dilexerit, alium habebit exosum; aut uno contempto, alium sustinebit. Accepimus etiam, quod quidam clerici tuæ diocesis, qui solemniter in conspectu Ecclesiæ matrimonia contraxerunt, ecclesiastica beneficia detinere